



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 1. Pontificis studium circa Aulæ suæ emendationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CLXI.

PIUS IV. PONTIFEX MAXIMUS, FER-  
DINANDUS I. OCCID. IMP.

§. I.

*Pontificis studium circa Aulæ suce  
emendationem.*

Cum interea Patres reliqua Synodi  
negotia summo studio promove-  
rent, ipse etiam Pontifex omnem  
in eo impendit sollicitudinem, ut Ro-  
manam Curiam emendaret, atque Epi-  
scopos ad residendum obstringeret. E-  
quidem circa primum articulum Pau-  
lus III. prorsus insignia condebat decre-  
ta, quibus ejus Successores alia adhuc  
addebant, inter quæ præcipuum caput  
summorum Pontificum electionem re-  
spiciebat, cum ab ea rectum totius Cu-  
riæ regimen dependeat. Julius quoque  
hujus nominis tertius Pontifex post diu-  
turnam, frequentemque consultationem  
ad reformanda Pontificum comitia quod-  
dam diploma dictabat, sed a legis hu-  
jus

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

*Pallav. l. 18.  
c. 17. n. 1.  
Et 2. opist.  
Borrom. ad  
Legat. 31.  
Octobr. Et  
Legat. ad  
Borrom.  
8. Nov.,*

Sæcul. XVI  
A.C. 1562

ius promulgatione per intempestivam mortem præpediebatur. Denique Pius IV. converso in idem propositum animo quamdam Constitutionem a se confectam ad Synodi Legatos transmisit, addito tamen præcepto, ut illam adhuc secretam tenerent, ac nemini communicarent. Itaque Legati accepto perlectoque hoc diplomate illud imperio commendarunt, ac Sanctissimo Patri hæc in responsis dederunt: optamus vehementer, ut legem hanc nonnisi post longam temporis moram in opus deducendi necessitas cogat, eoquod illi de sui Successoris electione ageretur. Ceterum huic Decreto postea Gregorius XV. quosdam adjecit articulos.

Ad secundum vero caput de residendi lege jam antea Legati decretum a se confectum ad Papam transmittabant, ut de ejus mente certiores fierent, priusquam hæc constitutio Synodi Patribus proponeretur. Hanc in rem præstolabantur, donec examen circa Sacramentum Ordinis penitus absolveretur, hanc tamen decisionem non parum maturare cogebantur propter proximum Gallorum adventum, cum hos facilius ad officium redigendos sperarent, si ipsi hoc negotium saltem jam inceptum cernerent.

S. II.